







1710.

1. Vinculum generationis aeternae filii Dei cum ejusdem resurrectione exhibitum ad pietatem publ. academicam ipso facto perichati. (Rector acad. Tuncensis . . . s. d. civibus).
2. Beierus, Adrianus; Fac. jur. decanus: Decasibus.
3. Beierus, Adrianus: De prosectoribus eorumque magistratibus et praefectis.
4. Beierus, Adrianus, Fac. jur. decanus: Programma inang: De gradibus, quo praedictionem solentem a Georgio Schell. Ludolpho habendam indicat.
- 5^a et = Beierus, Adrianus, Fac. jur. decanus: De bequinibus. Programma inang, quo praedictionem Thammis Wilhelmii Paulori indicat. 2 Sampl. 1710. Ed. tet. II
6. Bencknerus, Justus Hieron: De contractu aestimatorio
7. Vietmanus, Johann W. Thelms: Decas controversiarum juris
8. Vietmanus, Joh. W. Th.: De dominio jurisdictionis me. Auctoritas.

1710.

9. Friese, Jo. Bernh., Coll. jur. Decanus : ad cursorium solumen
Christiani Voelkeri invitat.
10. Friese, Jo. Bernh., Coll. jur. Decanus : ad cursorium
solumen Johanni Bingerloch invitat.
11. Gerhardus, Iohannus : De servitutibus in faciendo consi-
deratis.
12. Stenius, Fridericus Gottlieb : De pecunia praesidii
causa reposita.
13. Stenius, Burcardo Gottschelffius : De allodiis imperii
14. Stenius, Burcardo Gottschelffius : Origines et elogium
Hoenloica. Rec 1744
15. Widelius, Georgius Weyffgangus, Fac. med. Decanus : Propemp-
tione inang : De Paulo a vipera demorso (ad Praesep-
torem Augusti Andree Thummelii invitat.).
16. Widelius, Georgius Weyffgangus, Fac. med. Decanus : Propemp-
tione inang : De Glio cornualliano Salomonio (ad Praesep-
tationem solumen Caelstis Rudolphi Pring invitat.).

1710.

179, 6, 9, 1. c. Wildvogelius, Christian: De arbitrio iudicis
circa Torturam.

18 Wildvogelius, Christianus: De voto informativo.



1710, 4

4 5
7.

PROGRAMMA INAUGURALE
DE
GRADIBUS

quo
PRÆLECTIONEM SOLEMNEM PRO GRADU

à
DN. GEORGIO MELCH. LUDOLPHO
Consiliario Saxo-Isenacensi Aulico

L. fin. C. de Adfessoribus Domest. & Cancellar. Judic.
crastina luce hora X. habendam

indicit
FACULTATIS JURIDICÆ
DECANUS,
ADRIANUS BEIERUS, D.

P. P. Jene Dom. IV. post Trin. d. 13. Julii MDCCX.

TYPIS WERTHERIANIS.



PARALLELOMETER PRO GRADU
F. F.



GRADUS, diversæ significationis nomen est, suâ tamen origine ad Animantia referendum, quibus benigna Natura largissimè prospexit quidem; non eodem tamen, pro innumero illorum confluxu, atque metuendis abinde diffidiis, avertendo, reposuit loco: Ingenito autem cuius eorum appetitu potiundi, conceditisque necessariis movendo membris; his quidem quæ in terra nascuntur, pedibus; quæ verò in cœlo, alis insuper. Denotatve adeo vox illa primitus actum, quo corpus integrum necessitatis, utilitatisve gratiâ, de loco in locum, per spatia commensurata circumportatur: Idque regulariter altero pede protensò, altero in terra pro stamine interim repositò: quem actum, Gradari; Statum verò ipsum, GRADUS dicimus. Aliquando, pede utroque junctim elevatò, Corpus per semicirculos quasi trajicitur springen/ velut cervi, equi, lepores; aliquando & aviculæ aliquæ, quousque in terra placet agere, hÿpfen/ in more habent.

Quod ipsum, ubi constanter ita servari animadverterunt *Mathematici*, suæ sumserunt Scholæ, atque Statum id fecerunt rerum quoque inanimatarum, ac primò quidem dimensionem
bino-

bimorum extremorum, quousque gradiens quisque pro sui corporis habitudine, vice quavis extendit pedes, spatium videlicet intermedium, dixerunt Gradum : PASSUM item, quem juxta Cujacium ad *l. 4. §. 29. ff. de Usurp. & usuc. col. 268. B. & C.* faciunt duplicem : Simplicem unum, binorum saltim ac semis ultra, pedum : Geometricum alterum, altero tantò ampliozem. Idque planè usu haud exiguò, quo tam Provinciarum, quantum ad Jurisdictionem, inter Præsides : quàm Agrorum, privatos inter, quoad proprietatem inveniunt conservantque terminos, ac Judices in controversiis Finium regundorum efficaciter adjuvant. Ubi porro desinunt *Geometra*, ibi pergunt *Astronomi*, qui non intra terrestria se continent, sed aërem supergressi, *Æquatorem*, quem Lineam dicunt æquinoctialem, in trecentos sexaginta dividunt Gradus, quorum cuique quindecim milliaria adsignant Germanica ; unde universum terrarum orbem quinquies mille & quadraginta milliariibus circumscribunt. Præterimus alios longitudinis latitudinisque Gradus, in superis : quando observare licet, qualiter tam in adscensu quam descensu, sive per præcipitia, sive declivia ; *Architecti* non rudes modò Patres familiarum, Ligonibus juvare se, atque planitiem quandam, cui firmiter ac securè insistant, jusserunt fodere : Verùm docuerunt insuper *Mechanicos*, hinc quidem fabricare scalas ; isthinc Murarios ac Fabros tignarios struere atque componere limaces.

Locorum isthæc dimensio, & extremorum ad invicem appertinentia seu habitudo, translata postmodum ad personarum cognationes. De Patre quippe & Matre prodeunt Filius ac Filia, Frater atque Soror ; ab his Nepotes Neptesve, & ita porro : quorum pariter ad invicem respectus propinquitatis existit, per Gradus cognationis, juxta ad communem parentem collatione : Quod ad *Jctos* variis defertur eventibus ; ubi seu personæ obveniunt matrimoniò jungendæ, seu Hereditates intestatorum inter cognatos dividendæ ; atque ibi quidem, sicubi graduum obijciatur propinquitatis : Quorum computationem Justinianus Imp.

in *Tit. I. de Success. cogn.* definiverat: at Alexander Papa II. illam, quantum ad causas hæreditarias toleravit equidem; ad matrimoniales autem planè indoxit aliam; velut prolixè in *can. 2. XXXV. Qu. 5.* videre est; atque evaserunt hæc abinde ad Confistoria. Neque tamen ob id Jcti stant otiosi, cum quoad materias Successionum, quarum tres saltim gradus Prætores constituisse, Ulpianus in *l. 1. §. 1. ff. Si tabb. non extab.* ait, Liberorum, Legitimorum & Cognatorum; quorum distantiam innuit Pomponius in *l. 5. ff. Unde cogn.* Tum, quantum ad proposita necem defuncti vindicantibus præmia: ubi ad quæstionem: Utrum gradus sequens, destinatum anterioribus negligentibus forsan, aut præmortuis, vel impeditis, consequatur præmium? Marcianus in *l. 15. ff. de Scto Silan.* respondit Negando.

Jucundum credo visum fuit homini, diversas in semetipso invenisse considerationes; atque transitum fuit à Cognatione plurium, ad *Ætatem* singulorum; Gradus ibi etiam figendo: Velut Servius Rex Romanorum, censum faciendi gratia, Classes civium in tres distinxit gradus, Puerorum, Juvenum ac Senum; ut ex historia Tuberonis *Libro X.* refert Aulus Gellius. Juvenis, quis dicatur, & quousque? Marcellus in *l. 69. §. 1. de leg. 3.* indicat. Distinctius egerunt alii, dum collectivè certas annorum periodos, per hebdates & enneades ascendendo, *annos* invenerunt *climactericos*, quos Firmicus dixit Gradarios. Plura huc pertinentia qui videre cupit, Alciatum in *l. 204. de V. S. col. 1074.* adibit.

A Quanto ad Quale; à naturalibus ad Moralia, tam externa quàm interna, mentis atque intentionis transitum fuit: datis *Diligentiæ* suis gradibus, ordinariæ, exactæ & exactissimæ; unde ex opposito *Culpa* quoque alia dicitur lata, levis & levissima: quod argumentum tritissimum, remissivè ad Bachovium, Treutlero *Disp. XXVI. §. 2. vers. Illud hic semel, p. 974. fin. seq. vol. 1.* tractare licebit. Sicut autem *Culpa* suas luit pœnas, ita *Diligentiæ* virtutesque reliquas sua manent præmia, partim rem œconomicam

micam adjuvantia ; partim dignitatem ac splendorem personæ conciliantia. Utriusque cum primis *Militiæ*, armatæ ac togatæ. *Ibi* Munia atque Prædicata omnis generis Officialium, quæ gradibus differunt innumeris : Atque sicut pro Virtutum meritis per adscensum augentur ; ita pro delictorum diversitate retrahuntur, augentque pœnam variè, juxta *l. 5. pr. ff. de Remil. velut (a)* in puncto Desertionis, ut habet Joh. Voet. *de Jur. mil. Cap. IV. n. 22. p. 187. fin. seq. (b)* de autoribus Vociferationis. Id. *ib. n. 41. p. 214. post pr.* nec non *(c)* in Centurione, qui pecuniâ utcunque in promptu, stipendiis commilitones defraudat. Id. *ibid. n. 54. p. 296 fin. seq. (d)* Commilitonum arma furari *ib. n. 58. p. 245. pr. & pluries.* Agunt autem & Literati militiam, sicut militandi appellatione læpissimè utuntur Imperatores, quando in *l. 2. C. de Prox. sacr. scrin.* in sacris scriniis suis militantes commemorant. Justinianus ipse dicti Tituli Rubricam supplet verbis: *cæterisque qui in sacris scriniis militant.* Uti autem quatuor erant Imperatorum scrinia : Epistolarum, Libellorum, Memoriarum & Dispositionum : sic intra Palatium erant omnia, nulla in castris.

Dignitatum Academicarum quatuor habentur Gradus, BACCALAUREORUM, Magistrorum, Licentiatorum atque Doctorum. Primus ille, non ab omnibus Dignitas habetur, sed ad eam saltem præparatio ; ex sententia Treutleri *vo. 1. Disp. I. §. 6. lit. A.* sed contraria verior videtur Bachovio *ibid. add. Lymnæus Jur. publ. Lib. IIX. Cap. 8. n. 26.* MAGISTRI nomen, contemtibile posset videri, dum vel Mechanicis tribuitur. Enimverò, gloriosum reddit istud, dum Illustres quoque personas prædicatum istud assumisse, atque etiamnum alicubi Doctorum titulo præponi constat. LICENTIATI verbum dupliciter usurpatur ; Materialiter & absolutè, quoties quis post examina privata, speciminibus ad Doctoratum etiam necessariis, publicè legendo ac pro licentia gradum assumendi Doctoralem atque insignia capeffendi, disputando fecit satis : populariter Licentia-

tus dicitur: Nos Doctorandum eum vocamus. Formaliter autem ac reverà talis est, qui post exantlata ea solemniter talis fuit renunciatus: atque huic proximus à Doctoribus locus, privilegia autem illorum omnia in favorabilibus; ut declarat Alciatus in *l. 57. de V. S. n. 4. col. 940.* ei debentur. DOCTORATUS indubiè dignitatis nomen est, & inter Academicas supremum obtinet gradum; atque ubi de Dignitate agitur, non *obvius* modò, velut quatuor in Pontificibus Doctores observasse se, Joh. Lymnaeus *Jur. publ. Lib. IIX. Cap. 8. n. 8.* refert: verùm etiam *necessarius*; prout in Assessoris Imperialis Camerae, exceptis tantum Comitibus, Baronibus, Equitibus, Academicus Gradus antiquo more requiritur; quando in *Ord. Cam. MDLV. Part. I. Tit. III. §. 2. f. 324.* iteratà vice legitur: *der Nechsten gelehrt und gewürdigte/ur non sufficiat, vel in Principum Consistoriis usque eo, sine tamen Gradu adsedisse: Quæ causa est, quare Vir Consultissimus atque Excellentissimus, Dominus*

GEORG. MELCHIOR LUDOLPHUS

qui postquàm Serenissimo Principi JOHANNI WILHELMO, Duci Saxoniae, Juliae, Cliviae, Montium, Angriae & Westphaliae, Domino nostro Clementissimo, & Academiae hujus Connutritori Munificentissimo, per tredecim annos à Consiliis fuit, nunc autem Camerae Imperialis Adessor nominatus, dignitatem Doctoralem à Facultate nostra periiit. Supererant plenè Gradus Qualitatum, quas *Grammatici* in nominibus adjectivis reponunt, Positivus, Comparativus ac Superlativus; verùm peculiari servare visione Illustris Dn. Candidati dignitas postulat. Natus is est Erfurti, Anno MDCLXVII, Patre GEORGIO HENRICO LUDOLPHO, Regiminis Electoralis Moguntini Consiliario, patriæque Reipublicæ Consule primario: Matre MARTA BENIGNA, ex Schmidiorum-Sachsiorumque nobili familia orta. De Ludolphinae familiae antiquitate meritisque, ne vanitatis incurrat

currat suspensionem, plura commemorari noluit; Cùm publicis scriptis in Commentario de vita *Jobi Ludolfi*, Patruï sui, à Clarissimo *Junkero*, Historico Saxonico id sit traditum. Orbatus fuit Patre, cum vix bienniò vixisset; Cura educationis Matri relicta: quam ex consilio Propinquorum, Patruï scilicet, tunc *Gothæ degentis*, & Avunculi, *Job. Jacobi Schmidii*, Consiliarii Saxo-Isenacensis intimi, gessit. Studiis literarum instruendis, ab ineunte ætate ad Academicam usque vitam traditus fuit *M. Job. Michaeli Langguthio*, Viro præstantissimo, tum Juventutis propinquorum ex *Brückneriana* familia Moderatori, postea Ecclesiæ ad *D. Michaelis Erfurti* Pastori vigilantissimo: qui Latinis Græcisque literis imbutum, varioque dicendi publicè privatimque genere, prima etiam in Philosophia exercitatum, Anno MDCLXXXI. ad Academicas lectiones eum dimisit: Quarum initium fecit ductu *Dn. Professoris Georgii Henrici Brückneri*, quem ereptum huic mundo dolemus; Annuo spatio Institutionum Juris tributo: sæviente deinde peste, Jenam accessit; cum prius Præside *Dn. Professore Matthiæ*, Regiminis Moguntini Consiliario, de Justitia disputasset. In hac nostra Academia, anno MDCLXXXII. Philosophica studia, autore Viro plurimum Reverendo Domino *Johanne Andrea Schmidio*, tum Philosophiæ, jam Abbate Marienthalense & Theologiæ Professore Helmstädiense celeberrimo, continuavit. Jurisprudentiæ autem doctrinam, ex ore, scriptisque Illustris Viri, Domini *Nicolai Christophori*, Liberi Baronis à *LYNCKER*, jam Consiliarii Imperialis Aulici, hausit; quem per triennium continuum privatissimè docentem audivit, eique eo nomine publicas se debere gratias, fatetur. Disputationibus etiam publicis ad *Strauchii* jus universum, Præside *Petro Müllero*; ad *Kulpisii* Collegium Grotianum, Præside Domino *Job. Philippo Slevogtio*, Facultatis Juridicæ nunc Seniore gravissimò: Porro, reversus Erfurtum, ad *Struvii* Syntagma Juris civilis, & *Suederi* jus publicum, Præside supra laudato *Dn. Georgio Henrico Bruknero*, respondendo, opponendoque Commilitonibus, operam

ram dedit. Exeunte anno octuagesimo quinto, Avunculo suo supra nominato, cum Legatione ad Aulam Imperatoriam fungeretur, permissu Principis sui, à literis: deinde Serenissimo Principi Holsatiæ FRIDERICO, quem tunc temporis Viennæ agentem, Exercitus etiam Cæsarei Ducem, fuit secutus in Hungariam Serviamque, anno MDCLXXXIX. Ejus deinde negotia Viennæ, & paulò post Angustæ Vindelicorum, cum de Electione moderni Imperatoris jageretur, iterumque Viennæ Austriæ gessit, donec in Saxoniam ab amicis revocatus, anno MDCXCI, primò Serenissimo Principi ac Domino, Domino JOHANNI WILHELMO Duci Saxoniz, Juliaci, Cliviz ac Montium, Angriæ ac Westphaliæ: tum ejusdem Fratri defuncto, JOHANNI GEORGIO à secretioribus literis fuit constitutus: quod officium cum Consiliarii Aulici munere commutavit anno MDCIIIC, eoque usque huc fungitur, negotiis tum publicis tum privatis, legationibus etiam ad Imperatorem, Electores, Principesque adhibitus; jam verò ad Assessoratus Cameræ Imperialis officium obeundum nominatus. Atque, ut omnibus ad tantum munus requisitis instructus ibi compareat, nostram præ aliis adire voluit Academicam, ut literariæ militiæ dignitatis gradum supremum apud Facultatem Juridicam adipiscatur; legibus igitur facturus satis, speciminum publicorum antè, lectione solenni textum *l. f. C. de Adfess.* crastinæ Lunæ diei horà decimâ pomeridiani interpretandum sumsit sibi: Cui actui exornando, ut Magnificus Academiæ Pro-Rector, Aulæ atque Academiæ Proceres Excellentissimi, Doctores item ac Studiosi nobilissimi, præsentiam accommodent suam, demissè, officiosè ac perhumaniter invitare, mea postulat moderna functio. Polliceor, me omni tempore ad officia reciproca fore promptissimum. P. P. Jenæ
d. 13. Julii MDCCX.

(L.S.)

ULB Halle

003 330 850

3



St.







1710, 4

4
5

PROGRAMMA INAUGURALE
DE
GRADIBUS

Quo
PRÆLECTIONEM SOLEMNEM PRO GRADU

à
DN. GEORGIO MELCH. LUDOLPHO
Consiliario Saxo-Ilfenacensi Aulico

AD
L. fin. C. de Adessoribus Domest. & Cancellar. Judic.
crastina luce hora X. habendam

indicit
FACULTATIS JURIDICÆ
DECANUS,
ADRIANUS BEIERUS, D.

P. P. Jene Dom. IV. post Trin. d. 13. Julii MDCCX.

TYPIS WERTHERIANIS.